

R. D. A. Quod sejuncta sit, ut duceret alium, sive quoad vinculum N. quoad thorum et cohabitationem C. *Se enim separaverat*, inquit JUSTINUS (opp. p. 42. B.), *ne, si eodem lecto et mensa uteretur, particeps fieret impietatis*. Sed hæc separatio solius thori et cohabitationis est; proinde et libellus repudii non ritu gentili tunc vigente, sed christiano datus intelligitur; et inepta Launoii illatio.

2º. ORIGENES Tr. 7. in Matth. (opp. t. 3. p. 647. B. edit. Ruæi) ait, quosdam Episcopos permisisse mulieribus quibusdam, ut vivente viro alteri nuberent, et subdit, eos non omnino id sine causa permisisse; ergo censuit Origenes, potuisse solvi conjugale vinculum; et ejus ætate sic solvendi mos obtinuit.

R. N. Cons. *utramque*. Nam ait ORIGENES 1º. eos hoc permisisse *extra et contra Scripturam dicentem: mulier ligata est, quanto tempore vir ejus vivit*. 2º. Id permissum fuisse tanquam minus malum et tolerando ad vitanda majora crimina: *Forsitan enim propter hujusmodi infirmitatem incontinentium hominum, pejorum comparatione, quæ mala sunt, permiserunt adversus ea, quæ ab initio fuerunt scripta*.

3º. TERTULLIANUS Lib. 4. cont. Marcionem c. 34. asserit Deum non disjungere virum a muliere, nisi in adulterii casu: *cæterum præterquam eo causa adulterii, nec Creator disjungit, quod ipse conjunxit*.

R. *Explico et D.* Deus hoc casu disjungit quoad vinculum N. quoad thorum et cohabitationem C. Huic responsioni ex ipso Tertulliano lux affulget; dum ibid. mœchum definit esse eum, qui uxorem dimittit, ut aliam ducat: *Dico illum, Christum, conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat*.

4º. S. BASILIUS epist. 2. ad Amphiloichium can. 9. (opp. t. 3. p. 397.) de viro propter adulterium dimisso ab uxore ait: *qui vero relictus est, a propria uxore ob causam adulterii, dignus est venia, et quæ ei cohabitat, non ideo condemnatur*. Et de eadem inferius: *quare, quæ cum viro dimisso cohabitavit, nescio, an possit adultera appellari*; ergo. Hoc sancti Basilii loco, qui primo intuitu perplexus apparet, quidam inducti respondent, S. Patrem hac in controversia dubiæ esse mentis; hoc tamen illi condonandum, quod rei huic obscuræ nulla definitio Ecclesiæ tunc adhuc aliquam lucem dedisset. Verum nobis ad contextum advertentibus, et quam alias S. Doctor dogma catholicum clare et solide docuerit, hæc responsio S. Basilio et dogmati catholico non parum injuriosa videtur. Unde

R. *in forma: Explico et D.* S. BASILIUS ait virum a muliere dimissum, si ad novam accedat, *esse dignum venia, et quæ ei cohabitavit, non ideo condemnari*, spectata consuetudine fori externi legum civilium, quia juxta hanc tunc non puniebantur adulteri dimissi novam uxorem ducentes C. spectato foro interno, et coram Deo N. Eodem sensu ait: *nescio an possit adultera appellari, scilicet pro foro externo legum civilium, ut in eo subiaceat adulterarum pœnis, vocem adultera sumendo non absolute, sed relative ad pœnas adulteris decretas. Pro obscuri nonnihili hujusce canonis intelligentia,*

398. *Observa: Docet ibid. Basilius 1º. Si spectetur lex et sententia Christi, ratione dimissionis idem licere mulieri, quod viro in causa fornicationis*

commissæ a parte alterutra. 2º. Sed consuetudinem nunc obtinere, qua viro duntaxat permissum dimittere uxorem fornicariam, non vicissim uxori fornicarium virum; *at vero*, inquit veluti dolens, *consuetudo non ita se habet*; sed in mulieribus quidem nimiam adhiberi severitatem reperimus; unde paulo post subdit: *quæ cum viro dimisso cohabitavit, nescio an possit adultera appellari; crimen enim hic attingit mulierem, quæ dimisit, nimirum contra hanc consuetudinem, vi cuius soli viro licebat dimittere conjugem fornicariam; ac concludit: quare quæ reliquit, est adultera, si ad alium virum accessit; relictus vero est dignus venia, et quæ ei cohabitavit, non condemnatur*; scilicet juxta illam consuetudinem.

His præsuppositis patet responsionis ratio: nam *primo*, hæc propositiones: in mulieribus nimiam severitatem reperimus; et, non ideo condemnatur, pœnam indicant, proinde subjacere adulterii pœnis, quæ contra consuetudinem virum dimisit, non vero illam, quæ dimisso cohabitavit, quia hæc non peccavit contra hanc consuetudinem. *Secundo*, consuetudinem illam opponit legi et sententiæ Christi, quæ haud dubie forum internum respicit; ergo intelligit consuetudinem fori externi, et quidem civilis. *Tertio*, quia omnibus prædictis addit Basilius hæc: *Si vir ab uxore discedens accesserit ad aliam, est et ipse adulter... et quæ cum eo habitat, est adultera*; ergo aperte supponit, se in prioribus loqui de consuetudine fori externi legum civilium, juxta quam non puniebantur adulteri dimissi novam uxorem ducentes. *Quarto*, quia Lib. de Virginitate circa medium (opp. t. 3. p. 626. C. n. 41.), quamcumque mulierem, quæ vivente viro alteri nubit, mœcham pronunciat. Et postea: *non audis, inquit, quod etiam, qui dimissam ducit, mœchatur? etsi enim pro culpa dimissa est, attamen vivit vir ipsius; hoc est, eo vivente non potest sic dimitti, ut alteri nubat*.

5º. S. GREGOR. NAZIANZ. orat. 31. legem Mosaicam ait omnes ob causas dedisse libellum repudii; Christum vero non ob omnes, sed permittere tantum ab uxore adultera separari. S. CHRYS. hom. 17. in Matth. ex 1. Cor. 7. causam reddens, quare ob adulterium, non idololatriam permittatur divortium, assignat hanc; quod per adulterium jam solutum sit matrimonium, et post fornicationem maritus non sit maritus; secus esse in casu altero. S. AUGUST. Lib. de Fide et Operib. adeo obscuram esse hanc quæestionem fatetur, ut in ea non nisi venialiter erretur.

R. S. GREGOR. plus non velle, quam a Christo ex sola fornicationis causa permitti separationem etiam perpetuam quoad thorum et cohabitationem. *Nec refert*, quod in veteri lege per libellum repudii fieret solutio ipsius vinculi; non enim ideo pro nova lege idem tenere vult; cum hæc duo distincta sint: posse ab uxore separari, et: posse separatam ducere aliam. S. CHRYS. solum asserit solutum esse matrimonium quoad cohabitationem; et maritum non esse maritum quoad usum et jus; et quia adulterium dat facultatem dimittendi partem adulteram perpetuo, ideo verbo *solutum* utitur. Ratio responsionis ex eodem S. Patre hom. 17. in Matth. (opp. t. 7. p. 227. C.) desumitur; ubi ille, qui dimisit, inquit, *etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quod adulteram fecit ex conjugate. Hic vero accipiendo alienam adulter effectus est*. Ad S. AUGUST. Quod tunc obscurum judicavit, postea tamen ipse perspicue vidit locis supr. cit.

Præter laudatos Patres, Græci etiam S. EPPHANIUM objiciunt hæc. 59. ubi

docet, qui repudiavit adulteram, licitum ei esse novas celebrare nuptias; verum cum locum hunc manifeste depravatum ostendat doctissimus ejus interpres PETAVIUS in notis ad hær. 59. non est, quod in eo exponendo laboremus. Insuper hær. ead. n. 6. dogma catholicum diserte adstruit: *scriptum est, mulier alligata est nuptiis, quanto tempore vir ejus vivit: sin autem mortuus fuerit vir ejus, libera est, etc.* Alios vero scriptores maxime Græcos minoris ponderis exponit Arcudius. Nec oberit traditioni, si unus alterve dissentiret in re nondum definita et aliunde implexa, ut quidam de Theodoreto scribunt: item Asterio Amaseno.

399. *Obj. III. Summos Pontifices et SS. Canones.* S. LEO epist. 82. (al. 12.) ad Episcopos Africæ, ait, sacerdotem, qui ante sacrarum ordinum susceptionem priore uxore dimissa alteram duxerat, removendum quidem esse a sacro ordine; sed nec verbo significat, irritum esse hoc matrimonium. ZACHARIAS Papa c. *Concubuiisti*, caus. 32. q. 7. videtur agnoscere solubilitatem vinculi, dum inquit: *Concubuiisti cum sorore uxoris tuæ: si fecisti, neutram habeas; et si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat.* Porro can. *Quædam* ead. q. et c. *Si quis*, permittitur aliud matrimonium post divortium. Adde c. *Uxor*, q. et caus. ead.

R. S. LEO ideo nihil de matrimonii illius nullitate loquitur, quia non quærebatur ex Pontifice, subsisteretne hoc matrimonium, vel non? sed an ratus debeat haberi ordo a tali susceptus, vel non? et hoc eum esse privandum decernit. ZACHARIAS solum loquitur de nuptiis contrahendis post primas morte dissolutas, quas permittit uxori innocenti post obitum viri adulteri incestuosi; hiic vero post obitum uxoris negat nuptias, sive cum sorore uxoris defunctæ, quacum durante matrimonio copulam habuerat, sive cum alia. Sumitur hæc expositio ex can. *Hi vero*, caus. et q. ead. ubi neutri, altero vivo, novæ permittuntur nuptiæ; innocenti vero post mortem partis adulteræ. Eodem modo R. ad c. *Quædam*, et c. *Si quis*, cit. Ad can. *Uxor*, R. desumptum eum esse ex commentario in c. 7. primæ ad Cor. qui S. Ambrosio tribuitur; verum, ut jam suo loco notavimus, ex communi hodie sententia commentarius hic non est S. Ambrosii, sed Hilarii ejusdam diaconi Romani Luciferanis addicti, qualem eundem in suo catalogo notavit Hieronymus. Unde canon ille auctoritatem non habet. Alii, ex antiquioribus maxime, sic canonem hunc interpretantur, ut sensus sit, permissas fuisse novas nuptias soli viro innocenti ex licentia legum civilium, non vero Ecclesiæ, quæ semper juxta legem Christi hanc licentiam improbavit, ac alias S. Ambr. Lib. de Abrah. c. 4. et 7. et in Lucæ c. 16. eandem esse viri ac mulieris quoad hoc conditionem tradidit; velut in specie in eum canonem notat Baronius.

400. *Obj. IV. Ex Conciliis, et aliis monumentis antiquis.* Concilium Arelatense habitum anno 314. can. 10. (Lab. t. 1. p. 1428. C.) de viris, quorum conjuges deprehensæ adulteræ, statuit, ut *consilium* eis detur, ne viventibus uxoribus, licet adulteris, alias accipiant; ergo Patres Arelatenses ad consilium pertinere, non ad præceptum putarunt, si conjux innocens sibi temperet a secundis nuptiis ob alterius adulterium. Concilium Vermeriense, anno 752. sive apud Vermerias, relatum can. *Si qua mulier*, caus. 31. q. 1.

ita decrevit (Lab. t. 6. p. 1637. B.): *Si qua mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, et ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit, si probare potest vir eam ream esse consilii, potest, ut nobis videtur, uxorem dimittere, et, si voluerit, aliam ducere.* Præterea Concil. Aquisgranense III. an. 862. permisit Lothario regi, ut repudiata uxore Theulberga, ob copulam cum fratre Lotharii habitam, ducat aliam. His adde vetus Pœnitentiale Romanum, permittens uxori, quæ jussu et culpa mariti adulterata, si se continere non possit, nubere cui velit; e contra marito adimens omnem novi matrimonii spem.

R. Patres Arelatenses vocem *consilium* sumpsisse pro exhortatione; ut sensus sit, pastores exhortari debere adolescentes, sive juniores maritos, de quibus ibi agitur, ne, deprehensis in adulterio propriis uxoribus, ducant alias. Ratio est; quia ex ipsiusmet canonis textu patet, illicitum ac nullum futurum esse aliud, quod tentarent, matrimonium: *et prohibentur nubere, etc.* Concilium Vermeriense imprimis particulare est: deinde textus ex eod. cit. mendosus est; nam apud S. Ivonem verba: *potest, si voluerit, aliam ducere*, non reperiuntur; et can. *Si qua mulier*. h. t. substituta leguntur hæc: *potest ipse post mortem uxoris, si voluerit, aliam ducere.* Et hunc esse sensum, patebit amplius paulo post ad Pœnit. Rom.

Ad Conc. Aquisgranense R. D. Hoc permisit ob copulam ante matrimonium cum Lotharii fratre habitam C. Sic enim nuptiæ fuerant incestuosæ, et nullæ sine dispensatione; si tamen verum fuerit crimen hoc Theulbergæ a rege objectum, quod ipsa negavit in litteris ad Nicolaum I. a quo et defensa et commendata episcopis Galliæ. De qua re vid. epistolas plures Nicolai I. in Act. Concilior., etc. ad ann. 862. et can. *Lotharius*, can. 31. q. 2. Ob copulam durante cum Lothario rege matrimonio habitam N. Patres loqui de copula ante matrimonium cum Lotharii fratre, supponunt et evincunt rationes ab iis allatæ pro matrimonio nullo et irritato declarando: qualis est, quæ ex Conc. Agathensi c. de *incestuosis conjunctionibus* petita, ubi tales *conjugi* prohibentur.

Denique ad vetus Pœnit. Rom. R. Illud loqui juxta normam disciplinæ veteris, ex qua hoc erat discriminis inter conjugem innocentem, et adulterantem, quod innocenti *post mortem* adulterantis liceret celebrare nuptias novas; non item adulteranti post mortem innocentis. Vi hujus disciplinæ ob graviora quædam crimina negatam fuisse facultatem ineundi matrimonii, palam est ex epist. 92. S. Leonis c. 12. atque ex ipso cit. Pœnitentiale Rom. ostendit Antonius Augustinus; et, quoad præsentem controversiam ob adulterii crimen, anno 791. Synodus Foro-Julienensis cap. 10. (Lab. t. 7. p. 1005. E.) *Placuit, ut resoluta, fornicationis causa, jugali vinculo, quoad cohabitationem, ut probant sequentia, non liceat viro, quamdiu adultera vivit aliam uxorem ducere, licet sit illa adultera; sed nec adulteræ, quæ pœnas gravissimas vel pœnitentiæ tormentum luere debet, alium accipere virum, nec vivente, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito.*

401. *Obj. V. Ex ratione.* 1°. Divortium in lege nova est subrogatum repudio legis Mosaicæ: sed hoc repudio dissolvebatur ipsum matrimonii vinculum; ergo. 2°. Lex Christi non cogit quempiam ad continentiam perpetuam; cum, teste Christo, non omnes capiant verbum hoc: sed si non lice-

ret viro, dimissa uxore adultera, ducere aliam, cogeretur ad perpetuam, illa vivente, continentiam; ergo. 3^o. Adulterium tollit unitatem illam carnis, in qua sita est natura matrimonii, juxta illud Gen. 2. *erunt duo in carne una*; ergo.

Ad 1^{um}. R. D. Est subrogatum quoad thorum et cohabitationem tantum *C.* quoad omnia, etiam quoad vinculum *N.* Repudio legis veteris subrogatum est divortium quoad solam separationem a thoro et cohabitatione, et quidem ut illa perpetua esse possit, ex sola fornicationis causa; quoad potestatem vero ducendi uxorem aliam, priore dimissa, abrogatum est a Christo repudium.

Ad 2^{um}. R. 1^o. D. Maj. Neminem cogit directe et per se *C.* indirecte, et per accidens *N.* Sic supposito voto castitatis, cogit lex Christi ad continentiam. Atque ita supposito matrimonio legitimo contracto et consummato, ex ordinatione Christi prorsus indissolubili cogitur conjux ad continentiam, si nolit cohabitare adulteranti. Hinc

R. 2^o. D. etiam min. Cogere absolute ad continentiam perpetuam *N.* ex hypothesi, quod cum parte adultera libere nolit reconciliari, eique cohabitare *C.* Si enim nolit servare continentiam, potest se reconciliare cum parte adultera, eique condonare crimen; quod ut fiat, suadent SS. Patres ex S. Paulo.

Ad 3^{um}. R. N. Essentiam matrimonii consistere in illa carnis unitate; hæc enim tantum proprietas est, et velut effectus fluens ex matrimonio jam constituto. Sed, ut diximus cap. 1. essentia matrimonii in facto esse consistit in illo vinculo perpetuo, quod ex consensu interno et pactione externa resultat. Deinde, permisso gratis, ex unitate illa matrimonium perfici; non tamen sequitur, solvi quoad vinculum.

402. *Obj. VI.* in specie cum Launoio. Saltem male dicitur, doctrinam de indissolubilitate matrimonialis vinculi in casu adulterii alterius conjugum esse dogma fidei definitum cit. can. 7. Tridentin. *Prob. 1^o.* Quia canon solum Lutheranos ferit, qui erroris incusabant Ecclesiam, quod doceret, non posse dissolvi matrimonium, supposito licet adulterio; ergo. 2^o. Ut refert Cardin. Pallavicinus Concilii historicus L. 22. cap. 4. Concilium canonem primo conceptum cum anathemate contra eos, qui dicerent dissolvi posse conjugale vinculum ex causa adulterii, postea ad petitionem Oratorum reipublicæ Venetæ in gratiam Græcorum reipublicæ subditorum immutavit ac temperavit, omissoque anathemate, canonem, qualis nunc extat, protulit; ergo Concilium non intendit definire hanc controversiam.

R. N. Ant. cum communi Theologorum, teste Tournelio, consensu. Ratio est, quia licet Concilium in canone sic reformato anathema non ferat aperte in Græcos, sed Lutheranos; declarat tamen, non errare Ecclesiam, cum ita doceat *juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam*; ac proinde affirmat, doctrinam suam et Ecclesiæ de indissolubilitate matrimonii ob adulterium esse doctrinam Evangelicam, consequenter caput fidei; quale haud dubie facit doctrina Evangelica. Deinde ex canone illo sic bene arguitur: Non errat Ecclesia, cum docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, non posse dissolvi matrimonium ex causa adulterii unius conjugum; ergo errat contra Evangelicam et Apostolicam doctrinam, qui asserit posse dissolvi. Consequen-

tia patet; non enim datur medium inter errorem et veritatem; sed dogma aliquod aut verum, aut falsum est. Unde

Ad prob. 1^{am}. R. N. Cons. ob modo dicta.

Ad 2^{am}. R. D. Immutavit canonem, quoad modum et sonum verborum tantum, ut inquit Pallavicinus cit. *C.* quoad rem et significationem *N.* Ita Pallavicinus ipse ibid. n. 30. reprehendens Suavem, qui scripserat, mutationem canonis *aeream, et utilitatis effectusque vacuum esse*, inquit, non solum discrimen inter utrumque canonem est, *quamvis subtilius, sed etiamsi non inesset, convenientius fuisset Reipublicæ satisfacere, ubi per eam merus sonus, non autem significatio variaretur.* Recte vero dixit subtilius esse discrimen inter utrumque canonem, quia licet in canone, qualis nunc extat, non dicat Synodus explicite doctrinam, quam tradit, esse fidei, hoc tamen verbis æquivalentibus sufficienter adstruit et docet.

ARTICULUS IV.

AN ET QUO JURE PROFESSIO RELIGIOSA DIRIMAT MATRIMONIUM RATUM, ETIAM QUOAD VINCULUM?

403. Non competere professioni religiosæ vim ejusmodi circa vinculum matrimonii, quod consummatum est, certum supponimus, et facile ex dictis art. præc. evincitur; tum inde, quod nunquam Ecclesia eam dissolutionem vel agnoverit, vel passa sit. Solum de rato hic quæritur. Negant Novatores ultimi vim talem inesse professioni religiosæ, dirimendi vinculum matrimonii rati; Catholici contra, tametsi eam omnes professioni religiosæ attribuant juxta Tridentini definitionem, et semper antea tribuerint, solum in assignanda radice vis illius dissentiant. Hanc alii ex jure ecclesiastico derivant, sed antiquissimo ab Apostolorum temporibus introducto. Nomine vero professionis religiosæ ea solum venit professio, quæ in Religione approbata fit, quo etiam pertinet emitti solita a quorundam Ordinum Militarium Equitibus, qui ex instituto suo cœlibatum et continentiam perfectam profitentur, et vere religiosi habentur, veluti Equites Melitenses, S. Mariæ Teutonicorum, etc. Secus autem de iis est, qui castitatem dumtaxat conjugalem profitentur, ut Equites Alcantaræ, S. Jacobi, Mortesiæ, Calatravæ, etc. horum enim vota cum matrimonio compossibilia sunt, adeoque illud non solvunt.

404. *Dico I.* Matrimonium, quod est ratum tantum, per solemnem alterius conjugum in Religione approbata professionem, dirimitur quoad vinculum. Conclusio est de fide, et definita in Trid. Sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit Matrimonium ratum et non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Idem vero multo ante Tridentinum tempore declaravit Innocentius III. qui summum Pontificatum adiit anno 1198. et mortuus anno 1216. c. *Ex parte tua*, de convers. conjugat. tribuens relicto in seculo conjugii facultatem ad secunda vota transeundi. Et Alexander III. in seculo XII. c. *Ex publico*, et c. *Verum*, de convers. conjug. ubi et in priore hanc rationem affert, quod ante consum-